

* * * N E C R O L O G I A * * *

† R. P. Richardus Pitigliani (Pitigliani) (1881-1951)

(Prov. Rom.)

Provincia Romana morte P. Richardi Pitigliani amisit sodalem eminentiorem et sane dignum, qui in nostro Commentario officiali commemoretur. Cum famoso *Pico della Mirandola* (1463-1494) communem habet locum natalem, illud municipium provinciae Mutinensis Mirandola, ubi 8-VI-1881 lucem huius mundi primum vidit, ultimus quinque liberorum Caietani P. et Mariae Gavioli, qui tamen praematura sua morte filios orphanos reliquerunt in tenera aetate. Richardus iam in infantia omnium admirationem excitabat facilitate, qua conaciones in ecclesia auditas repetebat. Habebat circ. 9 annos, cum missio a nostris tribus Mirandolae praedicata in eo excitavit desiderium vitae missionalis. Splendide fecit sua studia Pesinae, Scifellis, Cortonae, facile suo ingenio promptissimo, memoria felicissima, voluntate tenaci commilitones superans. Novitiatum peregit in domo generalitia ibique vota religionis nuncupavit 29-IX-1899. Quod post 50 annos nulla prorsus huius diei recordatio facta est, P. Pitigliani aegre tulit, ut ipsi ex venerandi senis ore audivimus.

Ad ordinationem sacerdotalem 4-XII-1904 sese paravit sensibus ardentis pietatis, exinde suae supernae missionis probe conscius usque ad mortem. Per 3 annos tenuit, et cum honore quidem, cathedram theologiae dogmaticae; at multo magis eum alliciebat vita missionalis. Evasit revera unus ex magnis nostris missionariis, in quo dotes naturales et scientia acquisita et virtutes supernaturales feliciter erant coniunctae. A nullo labore vel magis arduo fugiens, fecit suam vocem fortem, eloquentem, apostolicam personare ab uno latere Italiae ad alterum, non exclusa Sicilia. Sacerdotes et religiosi, eum audientes in exercitiis spiritualibus, admirabantur eius scientiam theologiae dogmaticae et moralis et asceticae haud communem. Tempore prioris magni belli cum laude suum praestit ministerium in corpore sanitario.

Bis per triennium fuit Rector localis, Oropae et Cortonae. Per aliud trienium fuit Consultor Provincialis. Anno 1939, completo primo a canonizatione S. P. N. Alfonsi saeculo, P. Henze a Praeside Instituti Studiorum Romanorum cl. Carolo Galassi Paluzzi consecutus erat, ut in Aula Borromini, Romanae Instituti sede, conferentia haberetur de romanitate S. Alfonsi (sicut postea de S. Clementis romanitate), et oratorem proposuit Patrem Pitigliani; qui quidem, pro sua vasta cultura, egregie de dicto argumento locutus est coram duabus E.mis Cardinalibus Fumasoni Biondi et Caccia Dominionis aliisque permultis viris et feminis illustribus. Post conferentiam, forte iusto longiore et concitatiorem, omnes praesentes admirabundi auscultabant famosum *Duetto* S. Doctoris. Exc.mus Aloisius Hudal et Magister Sacri Palatii P. Cordovani O.P., plurimorum aliorum sensus hac in re repetentes, tunc dixerunt: « Plane ignorabamus magnum Moralistam fuisse etiam artis musicae adeo peritum ».

In Patre Pitigliani Congregatio amisit Chronistam doctum ac sollerterem, etsi non infallibilem. Quisnam omni errore immunis est? Proh dolor! non perfecit magnum suum de historia Provinciae Romanae et Provinciae Siculae opus, in quo diutissime laboravit. Tantum typis impressi sunt eius *Annales Provinciae Romanae* 1912-1913 (Romae 1914) et *Annales Provinciae Siculae* 1881-1924 (Panormi 1939), atque in « Numero unico » *Nel Secondo Centenario della Congregazione del SS. Redentore* (1932) duo articoli momentosi: *Diffusione in Italia* (p. 73-80) et *La Provincia Romana* (p. 81-96). Pro Analectis scripsit vitas PP. Martinelli et Gasparini (VI, 190-198) et Cristini (VIII, 378-381).

Fervidus admirator notissimi operis anonymi *De imitatione Christi*, denuo salebrosam quaestionem de Auctore audacter aggressus est variis monographiis: *Contributo di documenti nuovi alle controversie sull'Imitazione di Cristo* (extr. ex « Aevum », Milano 1935); *L'Abate Giovanni Gersenio autore dell'Imitazione di C.* (extr. ex « Illustrazione Biellese », Torino 1937); *Il Ven. Lodovico Barbo e la diffusione dell'I. di C. per opera della Congr. di S. Giustina* (Padova 1943); *L'età del Codice De Advocatis della « Im. di C. »* (Torino 1944) (1).

Mense Iulio 1950 P. Pitigliani erat in Fuscaldo Calabriae praedicans novendiale in honorem S. Francisci de Paula, postquam ante diu evangelizavit occasione « Peregrinationis Mariae » duas dioeceses unitas E.mi Cardinalis Tisserant Portuensem et S. Rufinae, et postquam praedicavit mensem Marianum Romae in ecclesia Magnae Dei Matris et mensem SS. Cordis Veneris. Iam iuveni missionali fuisse labor nimis continuatus, a fortiori huic seni quasi septuagenario. Nil mirum igitur quod intra illud novendiale Calabrum accidit quaedam cessatione functionis cardiaca. Romam non sine difficultate reversus, missionarius nimis zelans recepit a suo Provinciali praeceptum formale obedientiae (probabiliter in tota vita primum), ne unquam amplius praedicaret absque expressa venia sua! Non deficiebat quidem infirmum in communitate Monteronensi, cui adscriptus erat, amantissima confratrum cura; tamen cum Rev.mi P. Generalis venia in domum generalitiam se recepit, ut pro viribus historiam sua amatae Provinciae continuaret. Fortis eius natura et voluntatis energia diutius, quam medicus putarat, malo inexorabili restitere. Solacio ei erant frequentes visitationes confratrum et amicorum, velut Exc.mi Archiepiscopi Nigris, Pontificii Operis de Prop.

(1) Attamen in recentissima *Encyclopedie Cattolica* VI (1951), 184 ipse valde modeste scribit: « Antichi manoscritti italiani del *De imitatione Christi* ne attribuiscono la paternità ad un *Joannes Gersen abate*, del quale nulla si sa di preciso ». Supponitur fuisse abbas Vercellis ad S. Stephani inter 1220 et 1234. Ergo illi quatuor libri scripti fuissent iam duabus fere saeculis ante Thomam a Kempis (1379-1471), et iam c.a. 1230 abbas O.S.B. scripsisset III, 50, in fine: « Quantum unusquisque est in oculis tuis, tantum est, et non amplius, ait humili sanctus Franciscus » (+ 1226)! De eodem argumento scripsit noster P. Petrus Debongnie, Prov. Belg. In articulo supradictae *Enc. Catt.* « *Imitazione di Cristo* », VI, 1644-1651, auctore Igino Cecchetti, quinques sub certis antiquis manuscriptis legitur: *per cortesia del p. R. Pitigliani, C.S.S.R.*, et hoc modo relatio nostri confratris ad celeberrimum illud opus perennata est.

Fide a secretis, et R. D. Petri Galavotti, item civis Mirandolani. Forti animo carus senex exspectabat transitum ad aeternitatem, continuo Deum et Dei Matrem iugiter sucurrentem, cui devotissimus erat. in mente et corde habens, praesertim longis noctibus, quas insomnis extra lectum transigebat. Receptis magna pietate ultimis sacramentis, exiit ex hac valle lacrimarum 19-VI-1951, h. 14,10. Exsequiale Missam ad altare DNPS celebravit Superior Provinciae P. Aloisius Vori, praesente numerosissima communitate domus generalitiae aliisque confratribus et nonnullis propinquis.

Forsitan quis dixerit Patrem Pitigliani in sua vita terrena quandoque nimio ardore suam opinionem defendisse ac nimis facile aliorum assertionibus contradixisse. Esto. Quis non habet suas imperfectiones? Tamen non est dubium, quin defunctus confrater nobis reliquerit exempla admirabilis zeli, mirae operositatis, insignis erga Institutum nostrum amoris; quare eius memoria sit in aeterna benedictione.

A. PERUGINI - C. HENZE